

Johann Matthias Martini

**Programma Qvo Svo Et Totivs Collegii Nomine Sollemnia Inavgvralia Viri ...
Domini Friderici Gottlieb Ivlpii Bvrchard Rostochiensis, Qvi Pvblice Et Sine
Praeside Die XVIII Septembris A. O. R. MDCCLXXXIX. ... Svam Defendit
Dissertationem Inavgvralem De Effectv Ivrисivrandi Promissorii, Praecipve
Renvntiationibvs Beneficiorvm Adiecti Indicit D. Io. Matth. Martini S. D. R. A
Consiliis Ivstitiae, ...**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1789]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn892659254>

Druck Freier  Zugang



K. e. - 197(23.)

P. L. - 197(23.)



10

8

10

PROGRAMMA
QVO
SVO ET TOTIVS COLLEGII NOMINE
SOLLEMNIA IN AVGVRALIA
VIRI PRAENOBILISSIMI ET DOCTISSIMI
DOMINI
FRIDERICI GOTTLIEB IVLII
BVRCHARD
ROSTOCHIENSIS,

QVI
PVBLICE ET SINE PRAESIDE
DIE XVIII SEPTEMBERIS A. O. R. MDCCLXXXIX.
IN AVDITORIO MAXIMO,
SVAM DEFENDIT DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
DE
EFFECTV IVRISIVRANDI PROMISSORII, PRAECIPVE
RENVNTIATIONIBVS BENEFICIORVM
ADIECTI

INDICIT
D. IO. MATTH. MARTINI
S. D. R. A CONSILIIS IVSTITIAE, IVR. PROF. P. O.

FACVLTATIS H. DECANVS.

de Iurejurando Calumniæ.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

ALMA MATER STUDIO
SACRAE THEOLOGIAE COLLEGII
ARTI TRIVIARIORUM ET DECUMANORUM
FIDEI GOTTIUS IVI
DARGA

TABLETTE ET SINE PINDANIS


PER XCVI EDITIONES A D. O. M. DE
SAM BERNARDI DISSEMINATAVIT

ET EDITIONIBVS VARIOGRAMMIS
IN VOTOS EQUITVS VICTORIUM

ESTHETICA IN TITRIS
DOMINI CONCILII VICARIO RESTABILITATURE



A primis temporibus religionem iurisiurandi apud omnes gentes tam moratores, quam barbaras, vario tamen modo atque effectu, obtinuisse, historia est testis. Communi quadam necessitate homines adducti videntur, ad constringendam hoc remedio conscientiam eorum, quorum malitiam improbitatemque alia ratione coercere non valebant: Attamen aderant praeterea rationes speciales, quibus singulis gentibus sese commendavit frequentior usus iurisiurandi. Mox singularis religionis fervor, vel potius superstitione hoc efficiebat: satis enim superstitione sibi aliisque persuadere studuerunt plures gentes, Deum omniscium atque omnipotentem miraculoso modo mox patefactum esse, quoties quis committendo perjurium laederet maiestatem divinam. Inde tantus exstitit ordaliorum numerus,



rus, quorum omnium ubivis una eademque erat ratio. Mox
 penuria legum atque purioris philosophiae defectus frequen-
 tiori usu iurisiurandi erat supplendus: id quod olim saepissime
 accidit, in primis in processu criminali, doctrina de indiciis
 nondum sufficienter exulta. Mox denique ad vinculum iuris-
 iurandi, quasi ad commune quoddam fidei receptaculum,
 confugiebant, quibus alia remedia cogendi vel omnino deerant,
 vel saltem non commode in praesenti casu applicari poterant.
 Maximus ergo et multifarius olim fuit usus iurisiurandi in
 caussis tum publicis tum privatis, nec minor eiusdem hodie
 est auctoritas, quam hominum, inter se dissidentia, impotentia
 et ignorantia auetam atque suffultam esse constat. Neutquam
 enim videtur iureiurando locus esse futurus, si alter alterius
 constantiae satis fideret, nullaque perfidiae exempla exstant,
 aut si homines viribus sufficientibus succincti essent, quibus ad
 explendum debitum promisiores adigere possent. *Wernher*
 selectis observat. forens. Tom. I. Part. IV, observ. 151. p. m.
 868. Tantum ergo abest, ut ex statu nostro civili proscriben-
 dam vel prorsus eliminandam esse putem iurisiurandi auctori-
 tatem, ut potius certo certius sit, nos maximo hoc litium ex-
 pediendarum remedio, L. I. D. de iureiur. prorsus carere non
 posse. Attamen agnoverunt iamdudum iureconsulti cordatio-
 res, doctrinae de iure iurando, quatenus hodie hauriri solet
 ex legibus tum peregrinis tum domesticis multos admixtos esse
 errores atque abusus; de eo autem mire inter se dissentunt,
 quinam sunt illi, et quomodo iisdem obviandum queat. Vni-
 cum hic commemorabo exemplum, quod ex materia de iureiu-
 rando calumniae tum generali tum speciali est desumptum. No-
 tissima

tissima est constitutio; quae legitur in L. 2. C. de iureiur. propter calumn. qua Iustinianus, sublato iureiurando speciali, quod olim multifariam apud Romanos obtinuerat, primus introduxit, et in locum prioris substituit, generale hoc, quod ab utraque parte litigante, nec non a caussarum patronis, in quacunque lite, necessario praestandum esse voluit, putans, se in illo maximum dirimendarum caussarum remedium invenisse. Laudant alii institutum, ab ipso auctore summopere commendatum, et cuius utilitatem ius canonicum aequa ac leges Imperii agnoverunt, non modo dictam constitutionem adoptando, sed et eandem varie supplendo. Sunt e contrario, qui totam doctrinam de iureiurando calumniae generali a manifestissimo errore et crassa illius aevi ignorantia promanasse, atque exinde periculosissimum iurisiurandi abusum existisse contendunt; magis illis placet, quod ante aevum Iustiniani introductum legibusque approbatum erat, iusiurandum calumniae speciale, quod non in omni lite, sed interdum exigitur, quoties singularis calumniandi suspicio in aliquem cadit; id quod hodie iure quasi postliminii in foro Germaniae introductum esse videmus. In qua opinionum diversitate, si dicendum, quod res est, facile Iustinianus excusationem quandam mereri videtur, cui quidem, id quod aliis rei novae inventoribus itidem accidisse constat, suum institutum maxime arridebat, ex quo plura in rem publicam redundare debere, animo sibi representabat, quam quae iuste sperare poterat; attamen obligationem in foro versantibus imposuit, non quidem ab omnibus difficultatibus liberans, sed longe minoribus laborantem incommodis, quam quibus pristina premebatur. Necessarium enim ac inevitabile iam

A 3


tum



rum temporis reputabatur malum, iureiurando suspicionem calumniae sibi ab altero obiectae elidendam esse. Quia supposita necessitate, non incongrue factum esse dicere, iureiurando calumniae generali praferentiam tribuere prae speciali. Largiendum hoc mihi omnino erit, per iurii haud raro partes litigantes reos fieri, quibus indistincte obligatio imponitur, statim sub limine processus ab omni suspicione calumniae iureiurando se liberandi, et rariora forte inventi exempla, quibus actor aut reus a lite iam mota desistere maluerit, quam recusato iureiurando, vietum se esse profiteri. Verum enim vero hac ratione numerum per iuriorum insigniter esse auctum, nunquam concedere possum: introductio enim hoc generali, statim sub limine litis in iudicium deductae ab omnibus litigantibus praestando, ex intentione Imperatoris simul specialia omnia cessarunt, nec unquam ex hoc tempore casus existere poterat, quo in uno eodemque processu una pars ab altera iteratis vicibus iusiurandum exigeret; quod tamen, usu adhuc obtinente iureiurando calumniae speciali, olim omnino factum esse, immo et hodie saepius evenire, omnes factentur. Quare ab hoc, quod huic legi potissimum abiici solet, vitio eam facile liberari posse, puto. Accedit, quod probe attendendum erit, facilius hominem, alias ad suscipiendam temerariam litem paratum, at simul considerantem, quam certissime statim sub initio processus iusiurandum hoc generale a se esse praestandum, ab hoc suo proposito deterreri; quum contra idem ille, ab hac necessitate liberatus, si postea, lite iam suscepta, praeter omnem suam spem ad iurandum provocatur, praestationem iurisiurandi calumniae specialis non detrectata.

trecentaret? Hoc enim recusato, non solum vietus ex pugna dis-
 cedere debet, sed quoque calumniasse dicendus est, immo in-
 terdum praeterea poenas sui temerarii litigii luere debet, quare
 ob tot, ex post demum, et inopinato, sibi obvenientia mala
 evitanda peierare, non dubitat. Accesserunt aliae adhuc ratio-
 nes haud leviores, propter quas haec constitutio Imperatoris
 facile sece commendare poterat, quae expresse ab illo recen-
 sentur, quosque ab aliis, qui institutum novum increpare non
 dubitant, praetermissas esse, miror. Brevissimis earum men-
 tionem iniicit, addens: *Antiqua calumnia quiescente et eius am-
 bagibus, constitutio nostra dilucida et compendiosa in terris
 clareat omnibus.* Ulterius haec declarat Imperator in Nov. 49.
 cap. 3. ita ut abunde satis exinde pateat, introducendo iureiu-
 rando calumniae generali numerum iuramentorum non auctum,
 at plura alia incommoda haec tenus cum speciali iureiurando
 malitiae coniuncta, sublata esse. Lubens concedo, in eo non
 omnino voti sui compotem factum fuisse Imperatorem, ut
 hac via omnis ex foro eliminaretur calumnia, et quaevis litig-
 antium temeritas reprimeretur: tale quid ne exspectare qui-
 dem iure suo poterat. Sufficit nova illa constitutione aliquos
 abusus in exigendo iureiurando calumniae speciali haec tenus
 frequentes sublatos, nec non audaciam eorum repressam esse,
 qui adversarium suum praestatione iurisiurandi malitiae reite-
 ratis vicibus fatigare solebant. Quibus omnibus accurate sa-
 tis consideratis, sententiae eorum subscribere non possum, qui
 ad exemplum Saxonie legem iustinianeam ubique abrogan-
 dam, vigorem contra iurisiurandi malitiae diligenter conser-
 vandum esse, commendant. Verba potius b. Boehmeri in in-

110-



trōductione in ius digestorum lib. XII. tit. 2. §. 35. mea facio:
In Saxonia, inquit, *ne quidem amplius praeſtatur* (ſcil. iuriſiurandum generale calumniae:) *ob frequentiam periuriorum, quā tamen evitari poſſent, ſi iudices ſuo non deeffent officio, et periuria debito modo punirent.* Adsunt quidem, ſcio, leges, quibus poenae periurii ſat graves determinantur; ſed partim minus congruae ſunt, partim rigor legis, niſi singularia quaedam accedant aggravantia, applicari non ſolet. Praefindatur potius quovis modo peierandi occaſio, at mihi, eo tamen minus commiſſo periurio, reus criminis graviter, et ſine respectu perſonarum puniatur. Placet hic adferre, quae ea de re ſcripsit doctiſſimus Malblanc doctrina de iureiurando. pag. 406. *Pro circumſtantīs concurrentibus praeter infamiam, omnino et hodie ſummo cum rigore in hoc delicto obſervandam, fufigationem et relegationem, vel potius loco earum paenarum condemnationem ad operas publicas aut ergaſulum in duos circiter annos decerni poſſe, exiſtimo, ita tamen, ut reus antea in loco publico cum indice delicti commiſſcripto ad palum infamantem exponatur.*

Maior iuriſiurandi abuſus, quem, praeeunte iure canonicō in praxi vigere videmus, in eo apparet, quod, praefrito iam antea iureiurando calumniae generali, tamen adhuc recte rogetur iuramentum malitiaē, immo hoc posterius interdum plus vice ſimplici praefandum ſit. Impingit hoc contra expreſſam litteram legis ſupra citatae Iuſtiniani, et mirum quantum facit ad augendum numerum iuramentorum, ne dicam periuriorum. Pertinet hinc omnino ad iuriſprudentiam legislatoriam, huic abuſui longe lateque diuſuo obviam ire, quare sapien-

sapientiam veneramur Principis immortalis Friderici, qui ad
 evitanda periuria prudentissime constituit, remittendum esse
 in posterum iusurandum, quod malitia audire solet omnibus,
 qui beneficio restitutionis in integrum uti cupiunt. Verba hac
 collineantia constitutionis d. d. 4 Nov. 1776. haec sunt: „Dem-
 nach wir, so wohl zum Zweck diensamer Verkürzung der Pro-
 cesse, als vornemlich auch noch in reifer Erwiegung, der bey den
 processualischen Eidesleistungea öftermalen sich aufgebenden mannig-
 falten Bedenklichkeiten, mithin zu Verhütung besorglicher Mein-
 eide, nunmehro der wohl überlegten höchsten Entschließung gewor-
 den sind, daß das in unsren Herzogl. Fürstenthümern, und Lan-
 den, bei Ergreiffung, des remedii restitutionis in integrum bis-
 her gebräuchlich gewesene sogenandte iuramentum malitiae außer
 Gebrauch gesetzt, und gänzlich eingestellt und abgeschaffet werde;
 als fügen wir euch diese unsere gnädigste Willens-Meinung hiemit zu
 wissen, und befehlen euch zugleich gnädigst; fortan in Fällen, da
 restitutio in integrum gebethen wird, nicht so wohl die sonst ord-
 nungsmäßig erlaßenen citationes ad praestandum sollemnia zu
 erkennen, sondern dagegen den eingekommenen libellum gravami-
 num iustificatorium so fort dem impetraten ad exipendum zu
 communiciren.“ Non vero sola hac facta remissione dicti iu-
 risiurandi commendat se nova haec lex provincialis, sapien-
 tissime quoque ibidem cautum legitur, ne sublato hoc abusu
 alius in locum prioris surrogetur, nec longius progrederiatur
 litigandi temeritas atque libido. Severe inculcat eadem iudi-
 cibus, quemlibet abusum huius beneficii iuris non modo con-
 demando eum, qui item ita protrahere audet, in expensas.
 sed et infligendo alias arbitrarias poenas tum illis, tum advo-

013v.

B

catis



catis atque procuratoribus puniri. Hac via semel electa, ul-
terius adhuc progrediendum esse omnino expediret. Sic enim,
ut unicum proferam casum, nulla genuina demonstrari pot-
erit ratio, cur iusurandum, quod appellationis dicitur, maiori
favore dignum sit iudicandum. Numerus appellationum, ab-
rogato hoc iureiurando, non facile augebitur; modo temeri-
tas appellantis iustas gravioresque merito infligendas poenas
non effugiet, ipsum vero processum appellationis mirum in-
modum ita abbreviari posse, per se patet.

Plura addere prohibent huius oppellae limites, agam
nunc, quod praecipuum est mei instituti. Adiit enim haud ita
pridem inclytum Iureconsultorum ordinem, qui in hac Alma
Illiustri floret, me quidem interprete, Praenobilissimus ac
Doctissimus Fridericus Gottlieb Julius Burchard, Rostochien-
sis, Iuris utriusque Candidatus, qui, peractis studiis academi-
cis, summos in iure honores sibi conferendos, ea, qua decet
observantia ac modestia rogavit. Decreti sunt ab ordine no-
stro honores doctorales Viro, qui se probitate et morum
elegantia tum huic patriae sedi, tum exteris dudum iam com-
mendaverat. Juvar eiusdem vitae curriculum hic inserere,
totidem verbis ab eo conceptum.

Ego Fridericus Gottlieb Julius Burchard natus sum Rostochii,
A. O. R. MDCCCLXVII. die XXVI. Apr. Patre gavisus
sum viro prænobilissimo, Julio Ludovico Burchard I. V. D.
magistratusque in urbe patria florentis amplissimi, sena-
tore meritissimo, iam inter coelites triumphante. Matrem
vero


em vero carissimam adhuc superstitem colo; Sophiam Doro-
 theam Taddel, filiam Ioachimi Friderici Taddel, I. V.
 audi D. Syndicique ordinum Megapolis provincialium quon-
 dam dignissimi, iam a primo flore iuventae, religione
 ac bonis moribus sum imbutus, studiis consecratus libe-
 ralibus, privataeque curae et informationi, ut et pub-
 lico hic vigenti Gymnasio sum commendatus. Mox in
 hac Musarum sede albo Academiae inscriptus, primo
 Philosophiae ediscendae ducibus Beckero, Lasio, et
 Schadelookio, viris in aeternum colendis, operam na-
 ravi, dein prima iurisprudentiae principia ex lectionibus
 Wiesi et Eschenbachii, Virorum dignissimorum, hausivi.
 Triennio heic peracto, Georgiam Augustam, inclytam
 illam Musarum sedem petii. Illic colo paeceptores fa-
 migeratissimos, viros perillustres, Boehmer, Pütter, Clap-
 roth, Runde, Waldeck, quorum doctrinae in iurispru-
 dentia et theoretica et practica progressus debeo. Nec
 illic mihi defuit occasio, lectionibus historicis Schlözeri
 et Spitaleri, virorum praeclarissimorum utendi. Per unius
 anni atque sex mensium spatium heic commoratus, con-
 silio consanguineorum atque fautorum motus duxi, me
 examini ordinis iuridici Goettingensis submittere. Quo
 feliciter peracto, testimonio illius munitus mense Mart.
 MDCCCLXXXIX, patriam petii, et ad dissertationem meam
 incubui, atque in patria academia demum restaurata, primus
 summos in utroque iure honores ambii, quibus meis petitis
 etiam ordo iuridicus annuit. Ulterioribus meis conati-
 bus benignissimum numen ex alto adsit!

Con-

Conscriptis idem suum specimen inaugurale, quod sine Praeside publice defendere, haud dubitavit. Felici sane augurio accidit, Virum hunc Rostochii natum et animi dotibus haud vulgaribus ornatum, primum esse, qui post peractam felicissime restorationem huius perantiquae Musarum sedis publice sine praeside suam dissertationem inauguralem defendit, summisque, inter applausus bonorum omnium, honoribus ornatur. Quare virtutis ac doctrinae praemia illi a me conferenda esse, mihi insigniter gratum atque decorum est.

P. P. SVB SIGILLO FACULTATIS IVRIDICAE
ANNO 1789.










Image Engineering Scan Reference Chart TE25 Serial No. 011

(o) XIII
VIR PRAENOBILISSIMVS
VS ADOLPHVS KROHN
LVBECENSIS

ssima vitae suae ratione ita exponens:
inlytam Lubecam, vbi in lucem editus sum anno saeculi
tertio, die trigesimo Maii. Pater fuit HERMANNVS GEOR-
G. D. Reip. Lubecensis, quum in viuis esset, Syndicus, Ma-
ELISABETHA, Viri Magnifici HENRICI BALEMANNI,
per viginti annos primarii filia. Auum paternum habui
IOHANNEM ADOLPHVM KROHN I. V. D. Syndicum pri-
m, deinde Consulem Lubecensem. Auos quidem ad seros
eruauerat diuina prouidentia, quorum non solum exemplo
singulari quoque in me collata benevolentia vti mihi licuit
eo citior Parentum carissimorum iactura. Matrem enim,
nullis essem, Patrem haud ita pridem, quum non exiguae
nauductio, non sine luctu amisi. Nihil reliqui fecerunt
me, vt a teneris vnguiculis me bonorum Praeceptorum fidei
stum ex institutioue hausit quae ad pietatem humanitatemque
BACKMEISTERVM, KROEGERVVM, MÜNDERVM, postea
os, iam pie defunctos, itidemque Reu. KOHLREIFFIVM
quis artibusque ingenuis animum indefesso labore praepa-
ris officinam litterariam publicam frequentare coepi & cura
OVERBECKII, B. LANGIT & Cel. S ELENII solidioris
cepi. Pro rostris etiam Gymnaisticis, quum Auus honora-
HN Consul cum Auia amantissima A. 1750. die 28 Aprilis
, Iubilaeum gamicum celebraret, de Coniugum iubilani-
gnissimo Numine, vero Deo Vitali deriuanda, publice
cessum vero in Academiam, recitata oratione, de Lubeca
rebus, quae eius originem reddunt dubiam, A. MDCCCLIII.
yaco Patrio dixi. Pater, quia Syndicatus officium, quod
t, mecum iuit in Academiam. Elegit Francofurtum ad
to per terras Hannoveranas, Brunsuenses, & Marchicas,
cepit me, qui tunc fasces Academiae tenebat, Ill. POLAC.
isque Mathesin enucleantem audiui, Philosophicas praeser-
sus Reu. SIMONETTI. Ill. SVRLANDIVM & Cel. CVRT-
docentes adii. Historiarum seriem narrante itidem Ill.
straui. Institutionum & Pandectarum Elementa ab Ill.
ILIO accepi, liuguam gallicam captui accommodauit Mr.

() (3

MERCIER.